



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris**

**Gallonio, Antonio**

**Mogvntiæ, 1602**

Ecclesiasticis Ordinibus initiatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43172**

*Ecclesiasticis Ordinibus initiatur.*

2  
Imitari  
videtur  
Beatissi-  
mos illos vi-  
ros Mona-  
chorum  
Archimā-  
dritās, Pa-  
chomium,  
cuius res  
gestas pro-  
sequitur  
Metaph. a-  
pud Sur-  
tom. 3. Et  
Sabam,  
cuius vita  
historiam  
B. Cyrillus  
Laura S.  
Euthymij  
monachus  
conscribit,  
itemque S.  
Franciscū,  
aliosque.

**C**Vm B. Pater magna dedisset sanctitatis indicia, visū est Persiano Rosæ eius confessorio, illum non modò inducere, verū etiam impellere; a vt ecclesiasticis ordinibus initiari quamprimum curaret. Ad eum enim diem imitatus Sabā, aliosq; innocentia vitæ claros, quos sic humilitate fecisse nouerat, ab omni ordinum gradu se abstinerat. Vnum illud exoptabat, vt laicus permaneret, nō quò sacerdotij apicem non admiraretur; verū quia eo se munere indignū profus iudicabat: Quod tamen ei non cōtigit: Vbi enim cognouit ille, Persianum ea esse mente, vt sacerdos fieret, statim, ne onus sibi assignatum à Deo defugere videretur, eius decreto sibi obtemperandum duxit.

Anno itaq; salutis humanæ millesimo quingentesimo quinquage-

simo

Simo primo, in Ecclesia S. Thomæ  
Regionis Parionis, Mense Martio,  
cum annum prope sextum & tri-  
gesimum confecisset, prima tonsu-  
ra, quatuor minoribus, & subdiaco-  
nato initiari cœpit; diaconatu verò  
non multo post in nobilissima, anti-  
quissimaque Basilica Lateranensi  
anno eodem, die sabbati sanctioris  
maioris hebdomadæ, qui dies in iiij.  
Kal. Aprilis eo anno inciderat; de-  
mum sacerdotio in eadem Ecclesia  
S. Thomæ, eodem itidem anno, de-  
cimo Kal. Iunias. Cæterum qua ad-  
hibita præparatione, quibusue ani-  
mi motibus his ordinibus initiatus  
fuerit; malo in aliorum considera-  
tione relinquere, quàm in historia  
mea ponere. Euectus fuit Beatus  
Pater per omnes ordinû gradus ad  
apicē sacerdotii ritu solemnī, vt fie-  
ri solet, à Ioanne Lunellio Episcopo  
Sebastensi, Philippo Archinto per  
id tempus Iulij Tertii Papæ genera-  
li Urbis Vicario.

Vitæ lib. I

D 2

Sacer-

Sacerdos pristinam in victu parsimoniam perpetuò seruauit, ouis tantum, vel oleribus aut leguminibus ad cibum adhibitis: si quando tamè cum aliis vescebatur (quod ille non rarò lucrandarum animarum gratia facere solitus erat) omnem prorsus, quoad eius fieri potuit, singularitatis, atq; ostentationis notam euitauit. Quam postea consuetudinem eo consilio, vt omnibus omnia factus, omnes Christo adiungeret, ad multos annos retinuit.

1. Cor. 9.

Sacerdotio initiatus cogitare mox cœpit de templo Sancti Hieronymi, quod à Charitate cognomen accepit, incolendo, vt ibi quo ad Deo placuisset, vitam degeret. Erant tunc eo in templo præclari aliquot sacerdotes pij admodum, & Religiosi, nēpe Persianus Rosa Philippo à confessionibus: Bonsignorius Cacciaguerra nobilis Senensis, ex ditissimo mercatore Christi sacerdos: Franciscus ciuis Aretinus vir

erudi-

eruditus, qui multam doctrinam angelica quadam cum puritate coniunxerat, quique mortuo Persiano eiusdem Beati Patris confessiones audiuit: Franciscus alter Hispanus doctus æquè ac pius, sed charitate in pauperes, & austeritate in se ipsum admirandus. Viuebant hi sacerdotes eodem recto, sed quamquam eodem adiuuandorū proximorum desiderio flagrabant, vitam tamen pro se quisque diuersa ratione, prout spiritus suggereret, ducebat; suaque curabat pro arbitrio, separatimque cibum capiebat.

In id templum itaq; admissus Philippus sacrum singulis diebus faciebat. A sodalibus charitatis nihil unquam præterquàm cubiculum vnū, & illud quidem angustum accipere voluit. eò enim non mercede aliqua ductus, sed habitatione tantùm cōtentus, quò liberius commodiusq; in proximorum salutem incumbere, sese receperat.

Hoc ipso anno cum summa esset in Vrbe annonæ caritas, sex ad Philippum panes deferuntur; sed quid ille? acceptos panes non attingendos sibi, sed pauperibus tribuendos putans Hispano cuidam sacerdoti pauperi in Christi Domini nostri gratiam hilari vultu largitur: Quo peracto, cum quæreretur ex eo quid causæ esset, quòd portionem suam omnem egenti sacerdoti tribuerit, modestè id se fecisse respōdit, quòd facilius erat panem se ab amicis accepturum, quàm sacerdotem illum peregrino cœlo natum: quid plura? illo ipso die paucas duntaxat oliuas gustauit.

Philippi opera Henricus Petra Placentinus, quem laicus cum ille esset, Christo pepererat, Theseusq; Raspa sacris initiati sunt, & in templum S. Hieronymi ad habitandū inducti; vbi Bonignorio duce, magnos in spiritu progressus habuerūt, præcipuè verò Henricus, qui refor-

mandis

mandis postmodum monialibus, alijsque ecclesiasticis muneribus ad Cleri mores, templorumque cultum exornandum diutino, gratuitoque labore, toti Vrbi vtilitati eximia fuit. Hos secutus est Petrus Spadarius mitis sacerdos ingenii, Deo, hominibusque carus, atque is vltimus ex presbyteris eius Ecclesiæ fuit, apud quem Philippus post Francisci obitum confessiones peregit.

*Philippi in sacro faciendo ardor pietas,  
raptusque.*

**S**acerdos nunquam intermisit diē, nisi ægritudine detineretur, quin rem diuinam faceret. Æger singulis diebus panem cœlestem accipiebat.

Initio sacerdotij, cum in Ecclesia Sancti Hieronymi sacrum ageret, tanta repente diuini Spiritus abundantia replebatur, vt aquam, vinūque in calicem de more infundere vix posset: Adeò enim eius manus